

onerosum, rogo. Sunt vero etiam qui prodigi magis, ut gulae seruiant ac genio suo, quicquid rei est, in tempestive delitiis, vel sceleribus impendunt, ac si

- - - *exhausta rediuius pullulet arca
Nummus, et e pleno tollatur semper aceruo.*

Contremiscunt ergo, et aduersantur, si quando laboris sui mercedem operarius recipere cupit. Accedentibus academiae ministris, qui interdiu noctuque omnia, studiosae iuuentutis gratia, sustinere, currere hinc atque recurrere debent: heus tu, inquiunt, mihi malam rem fecisti: habebis nihil: dissertationes non attulisti: habebis nihil: si quid fecisti, officii ratio et tuum opus est: habebis nihil. Frontem adducunt, vultum auertunt, occupationes simulant, sermonibus aliis de industria in longum productis, omnem petendi occasionem auferunt: atque miseris, praeter istud *vult expectari*, tribuunt nihil. Illi secum omnes cogitare deberent, academias eum in finem constitutas esse, vt sacra pietatis atque virtutum seminaria, nec modo bonarum artium atque scientiarum, verum etiam humanitatis ac morum recte formandorum officinae habeantur. Ecquid contra quemquam molirentur pedelli? qui iniussi nihil possunt: sed, ex mandato et voluntate Rectoris, peragunt omnia: et nisi peragant, quae officii ratio postulat, grauissimam poenam incurront. Nihil vero magis Rectori curae est, quam publica Academiae, et priuata ciuium salus: quem sua nullo modo, sed communia omnium commoda mouent. Ecquis solicitudinem eius accusabit atque vigilias? cum

*Digna Deo virtus, poenis vrgere nocentes,
Irascique malis semper, amare bonos.*

Ministri si quid peccarunt, vt homines sunt, dolemus equidem nos: at illi veniam petunt, operam daturi

H a

post-